

Caspar March

**Programma Quo Ad Festum Michaeli Archangelo sacrum devote celebrandum, &
Angelorum Praesidiorum piam meditationem Universitatis Rostochiensis p.t.
Rector Caspar March/ D. Med. & Math. Pr. P. Omnes omnium Ordinum Cives
Academicos decenter invitat & adhortatur**

Rostochii: Kilius, 1664

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735640815>

Druck Freier  Zugang



35
94.

PROGRAMMA
Qvō
Ad Festum

MICHAELI

Archangelo sacrum
devotè celebrandum,
&
ANGELICORUM PRÆSIDIORUM
piam meditationem
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
p. t. RECTOR
CASPAR M^{arch}/D.

Med. & Math. Pr. P.

Omnes omnium Ordinum
Cives Academicos decenter
invitat & adhortatur.



ROSTOCHII,
Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LXIV.



um sexcentis aliis, iisq; sic
satis spissis irretita Pontificiorum est
Ecclesia erroribus, tum præcipue
isto laborat gravissimo, qvòd in
ANGELOS eum conferat cultum,
qui soli & ipsorum, & nostri omni-
um Opifici DEO, debetur; adeoq;
rea sit Ἀγγελοπάρειας. Qvando re-
labitur repetiturq; sanctissimo-
rum hoipè SPIRITUUM memoria, lubebit, eâpsè occasio-
ne, negocio paululùm immorari, ac, qvod refellendo va-
nissimo planeq; acatholico facturum sit dogmati, non affer-
re prorsus nihil. Sanè Cœli illum Terrarumq; OPT. MAX.
Conditorem tantùm invocandum esse adorandumq;, nec
in partem ejuscè honoris ullam venire debere creatura-
rum, id verò divinis literis adeò firmatur clarè, uti Solis quasi
radiis videri scriptum queat. Qvin vel ipsius naturæ quo-
dam instinctu homines doceri, ut, si aliquâ fors necessitate
premantur, quantumlibet gentilitiæ superstitionis cultores
sint, nihilominus eopse tempore, primis illis naturalibus
impulsionibus animi, in neminem alium cultu accompsonia-
tione ferantur, nisi in ipsum protinus DEUM; vel Baronio
(qvod mireris) adfirmatum ad Ann. Chr. 82. n. 4. Sed qvic-
quid sit de naturâ, operâ potius fuerit, Scripturarum visere
locos, atque inde adserto conciliare fidem. Apud Joan.
IV, 23. est: Veri adoratores adorabunt PATREM. In Psal.
L, 15, Invoca ME, præceptum est DOMINI. Et LV, 6. legas:
Querite DOMINUM. Si cauferis, expressis hisce verbis
nuspian

nuspiam fortè scribi: *Solum DEUM invocabis*: frustra es, ac omnino nugaris. Enimverò sensus dictorum omnium, qvæ invocari DEUM jubent, non est nisi exclusivus. Rem faciemus manifestissimam. *Deut.* X, 20. est: *D EO servies*; id verò apud *Mattb.* IV, 10. ab Interpreti omni exceptione maijore, ipso CHRISTO, exclusivè effertur: *Soli D EO servies*. It. *Deut.* VI, 13. & X, 20. est: *DEUM adorabis*. Ubi rectè dicitur; *DEUM solum adorabis*: *Certum enim est, vocabulum adorationis istis in locis significare genus venerationis DEO soli conveniens, per quam /c. boner divinus deferatur*. Nam ad probandum, adorationem eam soli DEO tribuendam, adducit istos locos *DOMINUS*, ait, habetq; *Greg. de Valent.* tom. 3. d. 6. q. 3. Parili itaque ratione, ubi sacra Script. dicit; *DEUM invoca*; Christo præeunte, capiendum id omnino erit exclusivè, ita que essendum: *Solum DEUM invoca*; eò quod invocatio cum servitute, adoratione, & cæteris ad DEI cultum pertinentibus actibus, in eodem planè sit genere. Porrò (quod ipsum quodque hoc loco observari apprimè merebitur) prisci Ecclesiæ Doctores, sancti q; Patres, ex invocatione, veram Deitatem adversus Hæreticos passim demonstratum ivere; ut adeò solius DEI attributum eum esse honorem oporteat. Absque hoc foret, non satis profectò bellè ista qvidem concludendi ratio processisset. Sic apud *Abban.* in *Orat.* 2. contra Arian. eo ex fundamento Christi Deitatem ostensam videoas, quod ejusdem auxilium in rebus creperis afflictisq; invocetur. Quemadmodum etiam S. Basilius lib. de Sp. S. c. 22, eundem Spiritum verum esse esse DEUM indè arguit, quod piorum preces ac suspiria ubique locorum exaudiat. Imò ipse *Cardin. Bellarm.* Omnes ferè Prophetæ, ait, predixerunt, post adventum Messiae eliminandam idolatriam; Ecclesiam autem semper in toto terrarum Orbe Christum culturam templis, aris, invocationibus, festis diebus. Hinc colligit, vel Christum esse DEUM, dignum latriæ cultu, vel omnes prophetas (quod vel cogitare

gitare impium sit) deceptos fuisse. Si enim Christus non sit verus
DEUS, nunquam tam insigne extitisse idolum in mundo, nec tam flo-
ruisse idolatriam, quam post Christi adventum. Qvibus sanè
verbis ita soli DEO invocationem adsignat Cardinalis, & re-
ctè qvidem, uti illicò fiat idolum, aut idolatria commit-
tatur, si cuiquam iste extra DEUM tribuatur honos: vid.
lib. i. de Chr. c. 8. Caterūm invocatio etiam Sacrificii ha-
bet instar, & qvidem spiritualis. Jam vel externa illa sacri-
ficia, piaculum erat, & morte piandum nefas, si ulli alii qvām
DEO offerrentur; vid. Ex. XXII, 20. Jud. XIII, 16. Maximus
Hipponensium Doctor Augustinus lib. 10. de Civ. DEI c. 14.
passimq; alibi, Sacrificium, ait, nullus hominum est, qui audeat dicere
deberi, nisi Domino soli. Eadem itaque, imò longè vali-
dior potiorq; ratio militabit pro interiore illo ac spirituali
sacrificio, qvod invocationem vocamus. Soliq; adeò DEO
omnium id maximè offerendum esse, per tot Scripturarum
locos firmiter statuemus, ipsiq; utique sacrificandum, sed ut
apud Tertull. dicitur, prece purā. Quartò, invocatio suppo-
nit omniscientiam, omnipotentiam, omnipraesentiam ejus,
qvi invocatur; sed hæc omnia soli DEO competunt; Ergo
etiam solum eum invocandum jure meritoq;, nec Angelos
ullā ratione eo cultu afficiendos esse, prorsus relinquitur.
Denique & postremò, invocationem religiosam, DEOq; grata-
tam cum invocationis normā & formā à Christo praescri-
ptā congruere, fas justumq; est. Enimverò Conservator, in-
ter cetera sua monita & praecepta divina, qvibus populo suo consuluit
ad salutem, orandi ipse quoque formam dedit, ipse, qvod precare-
mur, monuit & instruxit; uti eleganter Cyprian. Serm. 6. in ex-
plicat. Ostat. Dom. loquitur. Tertull. Orationem Dominicam
legem orandi appellat, eā fide nobis praescriptam, nihil ut in
eā, qvod ad veram invocationem requiratur, desiderari me-
ritò possit; l. de Orat. cap. 6. Argumentum, qvod parti-
bus Pontificiorum vehementissimè obstet, aut ἀγχολατρεία
eorundem

eorundem nimioperè sit debellandæ, confieri ex dictis tale
possit: Qvi non est Pater ille noster, qvi est in cœlis, non est
invocandus: enimverò idem ipse objectum à Christo ad-
aqvatum orationis constituitur. At verò Angeli non sunt
Pater ille noster, qvi est in cœlis. E. ipsi illi non sunt invo-
candi. Sed hæc compendio hactenus. Progrediemur ul-
terius, visuri qvoq; , qvid præsca ac purior super præsenti ca-
pite statuerit docueritq; Ecclesia. Probam⁹ enim ac impensè
laudamus *Vincentii Lirinensis* initio commonitorii *adversus*
profanas heresēon novitates eximiam, auroq; contra cariorem
istam regulam: *Qvi in fide sanā sanus atqve integer perma-*
nere vult, duplixi modo munire fidem suam, Domino adju-
vante, debet; primūm divinæ legis auctoritate, tūm deinde
Ecclesiæ catholicæ traditione. Itaque ex Secl. i. constitu-
tionum allegamus Apostolicarum volumen, in qvo *ad DE-*
UM omnipotentem accedendum esse monetur, non nisi per Chri-
stum. Supposititium certè qvidem est opus (qvod nemo
eruditior, harumq; rerum gnavior, ignorat) mentiturq; no-
men *Clementis Romani*, Cæterūm admodūm stringit locus,
qvem indè adduximus, eos, qvibus in honore, precio, atqve
deliciis liber est. Secl. II. *Ignatianas* Epistolas ad unam omnes
pariter adulterinas aut ficticias esse, falsoq; tantam præ se an-
tiqvitatē ferre, adseveratum plus vice simplici maximo
est *Salmasio*. Nos litem non facturi sumus nostram. Cætcro-
qvin in eâ, qvæ est ad *Philadelph.* Solum *Christum & Patrem* illius
ante oculos habere in precibus, illuminatæ à Spiritu virgines ju-
bentur. *Irenaeus* Apostolicorum Vir temporum, Joannis
Evangelistæ Discipulus, Polycarpi Auditor, qvi invocationi-
bus Angelorum uterentur, eos verò *in numero hereticorum habitos*
fuisse, disertè testatur lib. i. adv. hæret. c. 23. Qvibus veræ Ec-
clesiæ praxin his opponit verbis: *Ecclesia nec invocationibus*
Angelicis aliquid facit, nec incantationibus, nec aliquà pravà curio-
sitate, sed mundè & pure & manifestè orationes dirigit ad Dominum,

qui

qui fecit omnia, & ad nomen DN. nostri Iesu Christi; lib. 2. c. 57.
Clemens Alexandrinus, extrema, inquit, lib. 7. Strom. insci-
tia est ab iis, qui non sunt Dii, tanquam a Diis petere: unde & me-
ritò cum sit bonus unus DEUS, ab ipso ex bonis alia quidem dari,
alia verò permanere precamur nos, & ANGELI. Latinorum an-
tiqvissimus, ac Cypriani Magister, Tertullianus, lib. de præ-
script. (qvem utique ante scripsit, qvam ad Montani insana
dogmata prolaberetur) Simonianam, ait, Disciplinam, Ma-
giam, Angelis servientem, & ipsam inter idololatrias deputatam, &
a Pet. Apostolo in Simone ipso damnatam fuisse. In Secl. III. Origenes
Adamantius lib. 5. contra Cels. Omnia vota, inquit, omnes
interpellationes, deprecations, & gratiarum actiones destinanda
sunt ad DEUM, rerum omnium Dominum, per majorem omnibus
ANGELIS summum Pontificem, vivum verbum, & DEUM. It. An-
gelos invocare non videtur vel rationi consentaneum. it. Cœlestes
Angelos nemo adorat, qui sese legi Mosis subdidit; & sicuti Solem lu-
namq; & astra, ornamenta Mundi nemo adorare audebit, sic nec cœle-
stes Angelos. Athanasius Orat. 3. contr. Arr. Angelus Joan-
nem, ait, in Apoc. se adorare volentem non admisit, dicens: Vide ne
feceris. Quocirca solius Numinis est adorari; neque id ab Angelis
ignoratur, qui quanquam ceteros gloria transcendent, creaturas ta-
men se esse, neque in classibus adorandorum, sed adorantium Domi-
num, agnoscunt se computari debere. &c. Eusebius Cœsariensis
lib. 4. præparat. Evangel. c. 5. Nos solum omnium DEUM re-
ligiosè colere edocti sumus, adeò ut illi uni debitam vene-
rationem tribuamus. Idem lib. 6. hist. Eccl. c. III. Diony-
sium memorat Alexandrinum dixisse, solum sese DEUM & ne-
minem aliud venerari. Synodus porrò, qvæ Laodiceæ (Phry-
gia est Metropolis) coivit, peculiari lege vetuit, ne Angeli
invocarentur. Ordine est 35. tota eximia, adeoq; totam
etiam adscribere dignabimur. Non oportet Christianus, reli-
cta DEI Ecclesiâ abire, & ANGELOS nominare, vel abominande ido-
lolatriæ congregations ad eosdem facere. Omnino id est prohi-
bitum.

bitum. Si quis ergo inventus fuerit, huic abominande idolatrie
vacare, anathema sit, quia reliquit Dominum nostrum Jesum Christum & accessit ad idolatriam. Hactenus Canon. In quo pro Angelis Surius Angulos legit; sed infertur verbis violentia & corruptela est manifestissima, adeoq; ista inconditi Surii conamina nec Gentiano Herveto, immo nec ipsi Baronio, nec Francisco Sylvio, aliisq; gregalibus (ea vis veritatis est) sese probarunt. Ceteroq; vi quæ textui Vir Clariss. Christophorus Justellus adnotavit, præclaras sunt omnia, adeoq; cum Canone conferri merebuntur; sic futurum est, uti eximiam sortiatur idem ipse lucem. Epiphanius hæres. 79. DEUS, inquit, Angelos adorari non vult. It. Angelii non capiunt talem glorificationem, hæres. 74. Non adoranda est ulla creatura. It. hæres. 64. Pia fides non adorat creaturam, sed creatorem. Ambrosius comment. in Epist. ad Coloss. c. 1. Cuncta in ipso constant, quia in omnibus ipse primatum tenet, ut si quis alicui elementorum, aut ANGELORUM, vel potestatum devotum se debere esse putet, errare se sciatur. Hieronymus, Nos autem, ait, non dico Martyrum reliquias, sed ne Solem quidem & Lunam, non ANGELOS, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim colimus & adoramus, ne creature potius, quam Creatori servire videamur; Epist. 53. ad fin, ad Ripar. Chrysostomus hom. 3. in cap. 1. Epist. ad Hebr. Quid Angelos biantes suspicitis? Sunt servi Filii DEI, & in multa loca propter nos mittuntur, & ad nostram ministrant salutem, quam obrem conservi sunt nostri. In Secl. IV. incomparabilis Hippomensium Antistes, deq; universa Christi Ecclesia benemerentissimus Augustinus, tot locis αγγελαρεῖα refellit, ut nemo temere omnibus sit recensendis. Inter alios tract. 13. in Joan. Hoc est, inquit, religio Christiana, ut colatur unus DEUS, & non multi Dii. Participatione DEI fit beata, non participatione ANGELI fit beata sancta anima. Non beatus efficieris ex Angelotu, sed unde Angelus beatus, inde & tu. idem in enarrat. Psalm. 96. Angelii indignantur, si pro DEO colantur. Lib. de hæresib. ad

Qvod

Qvodvultd. eorum qvoqve hæreticorum meminit; qvoq
Angelicos vocitat, eò qvòd in Angelorum cultum fuerint incli-
nati &c. Cyrilus Alexandrinus lib. 10. cont. Jul. Scriptura
nobis unum DÉUM prædicavit; nec præter illum quenquam adorare
suevimus. it. lib. de Trinit. Accedimus ad DÉUM Patrem non
alià quam per Christum viâ. Theodoretus denique in Epist.
ad Coloss. c. 2. Qvoniam illi Angelos jubebant adorare, ipse (A-
postolus) contrarium præcipit, volens omnino, uti DEO & Patri gra-
tiarum actio emittatur per Christum, non per Angelos. Hanc etiam
legem secuta Laodicena Synodus veteri illi morbo mederi sicut sit,
legę caput, ne precarentur Angelos, & ne reliquerent DN. N. J. C.
Plura addere paginarum verat angustia; & jam sic satis bellè, qvem in nos
sulceperamus, defuncti labore videbimur. Κρητοφύγεων Adversariorum,
qvibus elabi conentur, aut turpe idolatriæ crimen fugere; præcipue vero
cistiictionem, qvam λατρεῖαν inter atque ḍελεῖαν commenti sint, commo-
diori loco atq; tempori servabimus. Nostrarum nunc saltem partium fuerit, CI-
VES ACADEMICI, fugere qvidem vitium, qvod haec tenus in Pontificiis, cæ-
terisq; , qui viam ipsis in impietate præiverunt, damnavimus, adeoq; minimè
gentium in ANGELOS eum conferre honorem, qui DEO uni, & ipsorum,
& (uti sub ipsum statim commentationis hujuscce initium loqveba-
mur) nostri omnium Creatori debeatur, qvemq; ipsi met (qvemadmodum ex
Apoc. XIX, 10. it. XXII, 8. 9. eximiè Athanasio Augustinoq; supra demonstra-
batur) magno amolituri sint conamine; reverenter tamen pièq; SANCTIS-
SIMAS MENTES usqve usqve habere; qvumq; per singularem DEI erga ge-
nus humanum benivolentiam, custodia consecrati nostræ sint Spiritus, nullâ
unq; ratione permettere, uti vitiis ac scelerib; nostris abs nobis fugentur.
Qvam enim ferre apes fumum non possunt, tñm tolerare castissimi purissi-
miq; illi spurciem nequeunt ac fæditatem. Vivamus O MEI! ita, uti non in
venturo saltem, verum hoc ipso jam etiam seculo, splendidissimo

Τιονυζέλω nomine circumferamur.

Valete.

P.P. sub Sigillō Rectoratus, d. XXIX. Sept.
ANNO M. D. C. L. XIV

• 8 (0) 80

bitum. Si quis ergo inventus fuerit, huic ab
 vacare, anathema sit, qui a reliquit Dominum
 stum & accessit ad idololatriam. Hactenus C
 Angelis Surius Angulos legit; sed infertur
 corruptela est manifestissima, adeoq;
 conamina nec Gentiano Herveto, imo ne
 Francisco Sylvio, aliisq; gregalibus (ea v
 probarunt. Cæteroq; vi qvæ textui Vir
 rus Justellus adnotavit, præclara sunt omni
 none conferri merebuntur; sic futuri
 sortiatur idem ipse lucem. Epiphanius ha
 qvit, Angelos adorari non vult. It. Angeli no
 rificationem, hæres. 74. Non adoranda est ul
 res. 64. Pia fides non adorat creaturam, sed cr
 sius comment. in Epist. ad Coloss. c. I. Cu
 quia in omnibus ipse primatum tenet, ut si qv
 aut ANGELORUM, vel potestatum devotum se
 rare se sciat. Hieronymus, Nos autem, ai
 reliquias, sed ne Solem qvidem & Lunam, n
 Archangelos, non Cherubim, non Seraphim col
 creaturae potius, qvam Creatori servire videamus
 ad Ripar. Chrysostomus hom. 3. in cap.
 Quid Angelos hiantes suspicitis? Sunt servi Fa
 loca propter nos mittuntur, & ad nostram minis
 obrem conservi sunt nostri. In Secl. IV. in
 ponens Antistes, deq; universâ Christi
 rentissimus Augustinus, tot locis aygredit
 nemo temerè omnibus sit recensendis.
 in Joan. Hæc est, inquit, religio Christiana, u
 & non multi Dii. Participatione DEI fit beatus
 ANGELI fit beata sancta anima. Non beatus
 sed unde Angelus beatus, inde & tu. idem in
 Angeli indignantur, si pro DEO colantur. L



ololatrie
 im Chri-
 sto pro
 entia &
 ti Surii
 us, nec
 est) sese
 ristopho-
 um Ca-
 ximiam
 US, in-
 lem glo-
 It. hæ-
 Ambro-
 onstant,
 ntorum,
 et, er-
 artyrum
 OS, non
 mus, ne
 . ad fin,
 Hebr,
 in multa
 , qvam-
 is Hip-
 eneme-
 lit, uti
 tract. 13.
 s DEUS,
 ipatione
 ngelotu,
 lm. 96.
 sib. ad
 Qvod